Quelle: https://manuscripta.at/?ID=951
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



catur affirmatiue. Et negatio uniuersalis in qua rursus uniuersale uni
uersaliter predicatur negatiue. Sed hee huiusmodi contrarie s. fieri
enim non potest. ut ubi uera sit affirmatio uniuer salis. illic uni
uersalis negatio uera sit. Sed econtrario fieri tamen potest. ut
utreque inueniri false possint. ut omnis homo iustus est. nullus homo
iustus est. Hic enim utreque false s. Et ut una quidem uera altera falsa repe
riatur: ut in eo quod est. omnis homo animal est. nullus homo animal est.
una est uera altera falsa. Vt uero utreque uere sint fieri non potest. Quo circa quam
utreque false inueniuntur opposite non sunt contrarie. Cur autem contrarie
an dicuntur alio loco a nobis erit dicendum. Particulares uero propositiones sunt
huiusmodi. Quidam homo animal est. quidam homo animal non est. Hee dicuntur
sub alterne. Affirmatio enim particularis sub uniuersali affirmatione sub
alterna est. Rursus eodem modo particularis negatio sub uniuersali nega
tione sub alterna est. Sed uel hee ut utreque sint uere. aut una uera.
altera falsa fieri potest. Vt utreque false sint non potest inueniri. ut in
eo quod est. Quidam homo iustus est quidam homo iustus non est. utreque ue
re sunt. Cum uero dicimus quidam homo animal est. quidam homo animal non est.
una uera est. altera falsa. Et dicuntur affirmatio et negatio particulares sub
contrarie. Quare nec iste uocantur opposite. Idcirco quod utreque uere inue
niuntur: interdum. Sit autem horum talis descriptio.